

H. 118, 28



SERENISSIMVM PRINCIPEM
PATREM PATRIAЕ
CLEMENTISSIMVM
SERENISSIMVM PRINCIPEM
HEREDEM
HVIVSQVE PATRVVM SERENISSIMVM
PRINCIPES RELIQVOS
CELSISSIONS
EA QVA DECET ANIMI SVBMISSI REVERENTIA.
GYMNASI CASIMIRIANI CVRATORES
LITTERARVM PATRONOS FAVTORES
DOCTORES CVLTORES
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ATQVE HUMANITATE

AD

CELEBRANDAM ORATIONE
SOLENNI

GYMNASII CASIMIRIANI NATALIS

A. D. III. IVL. CICICCLXXXI.

MEMORIAM

INVITAT

IO. CHRISTIANVS BRIEGLEB
P. P. O.

COBURGI, FORMIS AHLIANIS

PATRIMONIUM LIBRARIAE

Quamquam ipse vereor, ne incurram notinnullorum offendicium, qui orationem, ante hoc biennium publice recitamat, prolationis loco typis excusam tradi hominibus, vel mirentur vel indignentur; ego tamen, quum otio non abundarem, re diligentius cum animo reputata, eorum auctoritati obtemperare malui, qui neque nouam rem statuerent et inauditam antea, quam fecerint alii atque docti viri; neque iniucundum fore, sponderent, iis, quibus haec potissimum scripta sunt, redire in memoriam superiorum temporum, et ea, quae ad nos pertineant proprius, saepius cogitare cum gratiarum actione, quae debeatur Deo immortali, qui per tot annos rebus nostris tam egregie consultum voluerit.



ORATIO

PVBLICE HABITA

A. D. V. IVL. CICIOCCCLXXVIII.

A

IO. CHRISTIANO BRIEGLEBIO.

Diciturus hodie in hoc doctissimorum virorum confessu primum omnium ego, publicae pietatis interpres constitutus, Deo O. M., cuius numine haec bonarum artium officina stat inconcussa, inter ipsas fortunae minas saepius defensa atque luculenter a variis vel hominum vel temporum iniuriis, et multis magnisque aucta atque ornata beneficiis, gratias ago, quas mens capere potest, maximas; eumque supplex veneror, ut porro nobis lubens adsit atque propitius; bonorum consilia doctorum atque labores fortunet; iuuentutis huius, nostrae credi-

A 2

tae

tae fidei, animos sapientiae virtutisque magno impletat amore; has denique preces, casto puroque pectore ipsi oblatas, ita jubeat esse ratas, vii ipse omnis verae sapientiae virtutisque fons est atque origo.

Persolutis nunc Deo immortali, quas debemus, gratiis, votisque rite nuncupatis, vbi *Vos intueor, Viri generosa, illustri, reverenda atque nobilissima dignitate, excellens doctrina, amplissimis in rem publicam meritis conspi- cui;* *Vosque, Ciues Casimiriani, decus nostrum et voluptas viva;* fit, nescio quomodo, ut, quae in pectore intus gerantur, in ipso illo vultu *Vestro hilari atque serena fronte,* in illo oculorum vigore blandam prae se speciem ferentium, animaduertere mihi videar; animaduersa vero paullo audacius expromere non dubitem.

Neque enim Vestrum quemquam fore puto, quin multarum rerum cogitatione, huius diei solennitate non indigna, impleatur; quamuis alii in aliarum contemplatione rerum defixi esse videantur.

Dum enim complures diuini illius principis, qui hoc bonae mentis sacrarium constituit, laudes atque virtutes

me-

V

meditantur; alii, quod nobis per illum tributum est, beneficij magnitudinem cogitando adsequi student; pia vota fouent homines religiosi, ut haec nobis felicitas seruetur perpetua, vnicē optantes; priscae aetatis memoriam recolunt subtilioris homines ingenii, illamque cum hac nostra comparant diligentius; vel florentis aetatis inter haec subsellia iucundissime exactae recordatione delectantur; alii, quantum huic Casimiriano debeant ipsi, colligunt, et non mediocriter se commoueri sentiunt; sunt denique, qui bona illius vniuersa contemplentur; sunt, qui hanc iuuentutem, cuius magnam partem in spem patriae dulcissimam laetius efflorescentem vident, paterno quodam amore amplectantur: quae omnia sunt eiusmodi, ut, quam ego sententiam potissimum laudem et reliquis anteponendam judicem, definire vix ausim. Quo magis mihi religio fuerit animos a tali cogitatione auocatos traducere ad aliena atque remota ab huius diei sanctitate; quin potius alaci animo nos accingamus ad sacra nostra recte peragenda. Et quoniam omnia in medio posita, omnia se offerre dicenti ipsa videntur; neque opus est inuenire ea, quae iam habemus, neque quaerenda fuerint,

quae ante oculos sunt; prudentissimi autem quique viri non temere praecipiunt, in omni parte orationis, uti vitae, considerandum esse, quid deceat; quid hanc causam, hoc tempus, hanc personam apud hos homines deceat, non est quod subtilius Vobiscum agam; non est, quod ex interioribus doctrinae recessibus quidquam repetam; neque is ego sum, qui viros doctos, imo doctissimos docere velim videri, neque intelligam, quam parum apta sit spinosa oratio, iejuna atque exilis huic huius diei laetitiae atque solennitati; patiamini quaeſo, A., mihi que detis hanc veniam, ut abiecta illa doctrinae gloria eorum potius imiter modestiam atque simplicitatem, qui malint grata proponere audentibus, quam speciosa dictu; ea disserere, quae utiles faciant tironibus, quam admirabiles imperitis; patiamini igitur, me ex Vestrīs ipſorum cogitationibus; ex iis, quae paulo ante commemorauī, decerpere nonnulla atque delibare, quae Vobis quidem non inaudita neque incognita existimetis; iucunda tamen atque grata animis Vestrīs et sentiatis et vero etiam fateamini.

Veneremur igitur, veneremur principem immortaliitate dignissimum Casimirum, et eo magis veneremur,

quo

quo minus saepe vel nostra vel maiorum aetas illius similes tulerit; qualis quantusque ille heros fuerit, cuius suorum litterarumque amantissimus, dignus *Ioanne Friderico Magnanimo* nepos, diligenter etiam atque etiam cogitemus; celebremus egregiam illius liberalitatem coniunctam cum sapientia summa, quae hoc Musarum templum condidit, atque simul id voluit, illud vnicore spectauit, hoc effectus denique, ut non modo de ciuibus, neque de iis solum, quibus illum tam principem praesentem intueri contigit, sed de quam plurimis aliis, de exteris, de omni posteritate, de litteris ipsis quam optime mereretur; et quoniam nulla cuiusquam oratio satis ornare possit illam illius beneficij magnitudinem, certe quotannis nostram erga optimum principem pietatem publice ostendamus; memoriam eius retineamus sempiternam, et ita tradamus posteritati; ita factis, moribus, vita denique omni teste-mur, nos intelligere, quanto decori sit, quanto ornamento terris Coburgensibus Casimira, quam veluti ex se natam reliquit *Casimirus*, et, si quis ad immortales mortalium rerum sensus perueniat, profecto respicit. Haue, sanctissima anima, et pulcherrimis operum tuorum fructibus aeternum laetare.

Ab



Ab illo enim liberalitatis Tuae fonte in plures reipublicae nostrae partes; tum vero etiam in alias ciuitates,*) ut flumina maiora non illi modo, intra quam nascuntur, regioni commoda praestant, sed diffundunt munera sua ad remotissimos etiam populos; magni redundarunt fructus atque piaeclari. Hinc enim quam plurimi exierunt, qui, quum pectus litteris elegantioribus egregie munitum in maiora artium domicilia attulissent, eoque maiores in optimis litteris progressus facerent, deinde tales existerent, qui vel administrarent feliciter rem publicam; vel sanctioris dignitatem doctrinae tuerentur; vel regiam virtutis viam aperirent mortalibus; vel compressa sceleatorum audacia defenderent innocentiam; vel vitae ciuium et valetudini consulerent; vel bonas artes piaeclare docerent iuuentutem, eamque formarent ad humanitatem atque elegantiam, et ipsis etiam ingenii suauissimi et limateae doctrinae monumentis sui memoriam ad ipsam posteritatem transmittenterent; quum subinde magnus hoc

con-

*) Plures enim idemtidem ingenii cultus augendi causa hue venerunt ex Silesia; Saxonia; Transilvania; Suevia; Alsatia; Palatinatu; Holstia; terris Brunsuicensibus, etc.

conflueret numerus iuuenum praeclara studia aemulan-
tium, non generosi modo sanguinis, sed, quod multo
maiis est, animi nobilissimi; neque esset necesse, vt ci-
ues nostri ad congerendas doctrinae sapientiaeque copias
peregre proficisci iuberent filios adolescentulos, et cum
filiis transmittenrent nummos, et ex oculis dimitterent ca-
ros atque disciplina; neque vi principes legum seueritate
minisque poenarum ista cauerent, quod facere coguntur
ii, qui suae sibi miseriae consciit parum honesto modo, si
minus verae ciuium vtilitati et litterarum decori, tamen
arcae suae consulere putantur. Adeo egregie constituta
est res Casimiriana publica! Quamquam is ego non sum,
qui reliquas scholas omnes p[re]a nostra conteninen-
das putem, quarum etsi non multas, non tamen nul-
las de principatu cum nostra contendere; (videte,
quam libere, quae sentio, aperiam omnia, Vestrae
confisus humanitati!) non ignoro, non nego. Et
quum suus constare debeat honos veritati, quam ego
vnam omnium, quas veterum mortalium fixit reli-
gio, dearum, praestantissimam iudico, non ego
adfirmare ausim, omnibus hanc scholam carere vi-

B

tiis,

tiis, *) quae negare, vereor, ne impudentiae videatur; dissimulare astutiae; excusare ignauiae; defendere improbitatis; detegere hoc loco atque tempore dementiae fuerit; corrigere autem, quantum quidem fieri possit, atque emendare sapientiae erit et consummatae virtutis; illud tamen audacter pronuncio, si quando egregiae Casimiri voluntati minus responderit hoc institutum, accusandam esse non diuini principis sapientiam, cuius argumenta plurima et luculenta e re ipsa duci poterant facile, quorum illud non postremum fuerit, quod pluribus ornata voluit Casimiram suam doctoribus, quibus singulis singulas litterarum tribueret prouincias, ne quis graviori succumberet oneri; accusandam igitur fortunae iniquitatem, aut, ne improbe loqui videar, hominum temporumque iniuriam; quamquam non est, quod queramur; gratias potius agamus optimo numini, cuius prouidentia singulari, quae nostrae imbecillitat succurre-

ret,

* Non ego arbitror, nam id fieri non potest, villam umquam scholam constitutam, quae omni hominum generi eorumque vel fastidis vel desideriis satisfaceret. Hoc monui, ne quis hunc locum maligne interpretetur vel calumnietur.

ret, factum est, ut iis Doctoribus *) exsplendesceret hoc
nostrum Casimirianum, quorum longe plurimi rebus
multo

*) Commemoremus doctores Casimirianos huius saeculi. Fuerunt
autem isti

1) Ioa. Daniel Gilnlein, I. V. L. antea Aduoc. Ordin. succe-
sis M. Friderico Caleno in professione philosophiae practi-
cae, historiae et eloquentiae; ac simul Paedagogiarcha; in-
troductionis d. 3. Jul. 1695. post obitum Bahnii succedit in
professione Iuris; eloquentiae facultatem cedens Verpoor-
tennio d. 8. Dec. 1706. mortuus a. 1735.

2) Ernestus Salomo Cyprianus; academiae Iuliae, quae est
Helmstadii, Prof. P. successor directori Sauerbrey a. 1700
mense Decembri; Gotham vocatus 1713.

3) M. Philippus Theodorus Verpoortenius, Coburgensis, grae-
cae linguae ac poëseos Professor, introductus a. 1702. Pro-
fessor eloquentiae factus 1706. diem supremum obiit a.
1712.

4) M. Io. Conradus Schwartz, Coburgensis, stili Professor ex-
traord. poëseos ordinarius; introductus sub finem anni
1706. successor Verpoortenio a. 1713., inaugurator est Di-
rector d. 27. Nou. 1732; per aliquot annos lumine oculo-
rum orbatus, vita defunctus est a. d. 2. Ian. 1747.

5) M. Io. Michael Fischer, Coburgensis, scholae senatoriae Re-
ctor, Metaphysicae et Poëseos extra ordinem Professor in-
trod.

multo maioribus gerendis idonei et essent, et iudicarentur etiam ab exteris. Et quoniam in hunc locum dico

cendo

frod. d. 12. Ian. 1713. Diaconus exeunte a. 1714. mortuus
d. 1. Mart. 1742.

- 6) Godofredus Ludovici, Barutho Lufatus, III, Gymnasi Schleusingensis per annos 18. Rector, succedit Cypriano a. 1713. m. a. 1724.
- 7) Io. Iustus Bode, Bodenburgo Brunsvicensis, Principum Luuentutis Saxo Salfeldensium Ephorus; factus est Professor Matheos et Metaphysicae, et introductus d. 5 Febr. a. 1715. m. d. 12 Oct. 1719.
- 8) Ioa. Heimreich, Tannensis, Phil. et Med. D., Isenaco huic euocatus lectiones auspicabatur Hebraicas d. 25 Febr. 1715. physicam professionem d. 26 Febr. ei. a. lectiones medicas d. 5 Jun. 1719.
- 9) M. Io. Christoph Schubarf, Coburgensis, Scholae senatoriae Rector; Poëeos Prof. Extraord. lectiones auspicatus est d. 29 Sept. 1715. inaugurus est Prof. eloquentiae et graecae linguae d. 16 Ian. 1733. mortuus d. 8 Dec. 1744.
- 10) Io. Ehrenfried Zlachowitz, Numburgensis, Iuris publici Professor m. Maio a. 1715. ad Hilperhusanam professionem abiit a. 1716.
- 11) Estienne de Fert, Mag. Philos. Parisiensis et e Burgundia oriundus; Professor linguae Gallica a. 1719. habuit orationem

tip-

cendo perueni, quem non attingere facilius erat, quam re-
linquere tactum; ego mihi ipse temperare non possum,
quin

tionem auspicalem d. 15 Oct. a. ei. Mortuus a.
1739.

- 12) M. Bonifacius Henricus Ehrenberger, Hildburghusanus, Prof. Matheseos et Metaphysicae introducitus d. 12 Jul. 1720. m. 1759.
- 13) Albertus Meno Verpoortenn SS. Theol. D. antehac Superintendens Neostadii ad ericas; vocatus Director et Theol. P. P. a. 1724. inauguratus d. 13 Oct. h. a., postea Gymnasii Dantiscani Rector creatus.
- 14) Theodorus Berger I. V. D. introd. a. 1736. vt doceret institutiones Iustinianaeas et historiam; m. d. 20. Nov. 1773.
- 15) eodem anno et die Io. Christian Linck. praefectus studiis Serenissimorum iuuentutis principum Ioa. Ernesti et Ioa. Guilielmi in Gymnasium inductus est, vt Philosophiam moralem doceret; m. a. 1766.
- 16) Io. Sebast. Albrecht, Med. D. et Practicus. Acad. Imperial. Leopold. Carolin. Naturae Curiosorum Collega, cognomine Panthemi, constitutus est Prof. Philos. Natural. d. 3. Sept. a. 1734. m. d. 8 Oct. a. 1774.
- 17) Ioa. Ferdinandus Raiston, Gallus, qui sub nomine, quod di-
ximus, voluit latere, Iena, vbi linguam gallicam iuuenes

qui paullo diligentius repetam animo memoriam non
superioris saeculi, sed huius nostri longe incundissimam,

ap-

docuit studiosos, euocatus, ut in Gymnasio Casimiriano
Professoris linguae gallicae munere fungeretur, introdu-
ctus est a 1738. m. a. 1765.

18. Ioa. Vdalricus Trefenreuter, antea in alma Noricorum acad.
Altorfina alumnei et oeconomiae inspecto, vocatus Direc-
toris adjunctus, paedagogiarcha et eloquentiae atque phi-
losophiae P. P. O., introductus in collegium Professorum
a d. VI. Id. Octobr. 1738. m. a. 1744.

19) Ioa. Martin Chladenius, antehac antiquit. ecclesiast. Prof.
P. Extraord. in Acad. Lipsiensi, nec non Collegii Princi-
pum minoris Collegiatus, suscepito Directoris adjuncti et
Paedagogiarchae munere, introductus d. 9 Dec. 1744, ad
professionem Theologicam in academiam Erlangensem vo-
catus discessit d. 16 Ianuar 1748.

20) M. Christoph. Ioseph Sucro, Magdeburgensis, ex academia
Halensi huc euocatus, vt doceret eloquentiam latinam, item
graecas litteras, introductus d. 30. Jun. 1745. mortuus a.
1756.

21) M. Io. Frid. Gruner, Coburgensis, ex academia Ienensi hue
vocatus Professor antiquitatum et linguae Romanae, post
eloquentiae; munus adiit a. 1748. Halam Magdeb. abiit
Prof. Theol. a. 1764.

22) Io.

applaudentibus, spero, omnibus, qui nobis nostrisque stu-
diis nostraque laetitiae honorique fauent, Iuuat com-
me-

- 22) Io. Frid. Klett, I. V. D. e Baruthinis, Prof. extraord. ex
academia Erlangensi huc vocatus a. 1748. obiit a. 1750.
- 23) M. Io. Andreas Buttstett, antea Director Gymnasi Gerani,
hic Directoris et Prof. Theol. munus suscepit a. 1751. abiit
a. 1761. in academiam Erlangensem Prof. Theol. et Pastor
Palaeopolit. vocatus, vbi m. a. 1765.
- 24) M. Erhard Andreas Frommann, ex Pastoratu Garnstadiensi,
Prof. orr. et graecae linguae huc euocatus a. 1756. introd.
d. 31. Oct. Munus Paedagogiarchae suscepit a. 1759. Direc-
tor constitutus a. 1761. publice introductus d. 13. Mart.
1762. Doctor Theologiae creatus in academia Altorfina --
Abiit d. 24. Mai a. 1771. Abbas Bergensis et Ducatus
Magdeburgensis Superintendens Generalis, nec non regii
Consistorii Consiliarius. m. d. 1. Oct. 1774.
- 25) M. Io. Christoph Cramer, Facult. Philos. Adjunctus Ienen-
sis, huc Prof. Matheos et Metaphyicae vocatus a. 1759.
Paedagogiarcha a. 1762. m. d. 11. Sept. a. 1765.
- 26) M. Laurentius Adam Bartenstein, Heldburgensis, Scholae
Senat. Rector. Prof. extraord. constitutus a. 1757. Prof.
eloquentiae Ordinarius, post Matheos a. 1765. d. 24. Iul.
Paedagogiarcha a. 1766.

27. Io.

memorare et si non omnes, ne aures Vestras fatigem, tam
men praecipuos artium doctores Casimirianos.

Vt igitur

27) Io. Frid. Quchl, puerorum nobilium in aula Serenissimi Du-
cis nostri morum praefectus et Secret., Professori Raison
adiungitur, eique linguae gallicae docendae munus traditur
a. 1762.

28) M. Io. Christian Mittenzwey, Scholae Nicol. Lipsiens. Col-
lega, Professor graecae et orr. LL. huc euocatus m. Ianuar.
a. 1763. mortuus sub finem eiusdem anni.

29) M. Theodor Praetorius, Mittenzweyio successit introd. d.
3. Mai. a. 1764. postea munus sacrum concionatoris aulici
adire coepit; dein Gymnasii Director d. 17. Iun. 1771

30) M. Gottlieb Christoph. Harles, Culmbacenfis, Prof. Ex-
traord. in academia Erlangensi, adiit munus Professoris LL.
orr. et graecae d. 24. Jul. 1765. in academiam Erlangen-
sem Professor Eloquentiae et Poëseos nec non Consiliarius
Aulicus abiit d. 9. Apr. a. 1770.

31) M. Io. Georg. Henricus Feder, ex Baruthinis, Magister
legens in Erlangensi Vniuersitate post obitum b. Crameris
Metaphys. et Orr. LL. P. huc vocatus d. 21. Nou. a. 1765.
est introductus. Goettingam abiit Prof. Phil. Ord. d. 17
Mart. a. 1768.

32) M. Io. Christianus Briegleb, Gorlicensis, Goettinga, ubi vixerat,
euocatus et in locum Federi Prof. Phil. surrogatus, est intro-
ductus d. 22. Jul. a. 1768.

33)

tur silentio praetermittam Buddeum, illum Buddeum, qui,
per breuissimum quidem vnius anni spatium, noster ta-
men fuit, et hinc digressus Halami primum, mox Ienam
or-

- 33) M. Io. Melchior Faber, Simmershusa Hilperhusanus, in il-
lustri Gymnasio Thoruniensi P. O. I. graecae et Elo-
quentiae successit Harlesio introductus d. 11. Jun. a.
1770. discessit Prof. et Rector illustris Gymnassi Onol-
dini d. 1 Maii a. 1774.
- 34) M. Io. Casimirus Happach, Coburgensis, Concionator Au-
licus primus et Consistor. Ducal. Assess. euocatus ill.
Gymnas. Casimir. Acad. Director et Theol. P. P. O. cum
dignitate Consiliarii in Consistorio Ducali, introd. d. 24.
Aug. a. 1772. Successit Praetorio.
- 35) Io. Henr. Steuogt. Coburg. Aduoc. Aul. et Regiminis il-
lustr. Suffectus in locum Bergeri Prof. Juris et Histor. in-
trod. d. 3. Nou. a. 1774.
- 36) Io. Melchior Lochman, Lengenfelda Nariscus, Re-
ctoris Salfeldensis munere functus, quo se ipse abdicaue-
rat; Vitemberga dein euocatus Fabro successit in Prof.
Rhet. et graecae l. introd. d. 3 Nou. a. 1774.
- 37) Dd. Herrmann Gottlieb Hornschuch, Med. et Phys. Prof.
O., ruris Coburg. Physicus, Albrechto successit d. 23 Nov.
a. 1775.

ornauit, et nominis sui splendore illustrauit, imo orbem terrarum, qua litteris statuit pretium, ingenii doctrinaeque fama impleuit: quantum dicamus ingenii, quantum animi fuisse in *Cypriano*, ad summum postea, quo non indignus fuit, honoris fastigium eucto; quo tractante Gymnasii nostri gubernacula, incredibile dictu est, quantum efforuerit Casimira non dicam moribus ciuium, eorum enim turpitudine doleo magno illius nomini maculam non leuem inustam esse; sed ingenii et frequentia eorum, qui huc venirent. Quantum litterarum fuit; quam promta et parata doctrina in *Verpoortenio* vtroque! Quantum antiquitatis in *Schwarzio*! quae doctrinae varietas in *Grunero*! quam admirabilis eruditionis multiplicis copia in *Semlero*! nam fuit hic quoque aliquando rei nostrae publicae pars per aliquot menses. Quantae virtutes enituerunt in *Chladeño*! quae ingenii perspicacia! quod acumen! quae mo-

rum

38) Io. Frid. Facius, Coburgensis, Prof. Extraord. a. 1777.

Quae hoc transtulimus, iisdem fere verbis scripta leguntur
in matricula Gymnasii Casimiriani Academici.

rum lenitas! *Tresenreuterum* vero natum dices ornam-
dae rei scholasticae et docendae optimas iuuentuti artes,
Adeo multa in illo viro bona erant, vt, ad quamcunque
ille se contulisset, in ea egregia eius esset opera et adole-
scientibus utilissima; neque dubitem hunc illis omnibus
anteponere, qui quidem, non insitior, doctrinae magni-
tudine illi forte praestabant, quamvis haec quoque in
ipso minime contemnenda fuerit; sed illud potius age-
bant, vt sibi ipsi saperent soli, non iuuentuti, cui dati
erant praecceptores; vt se suumque nomen illustrarent, in
cathedra vero constituti, ubi non satis parati ad docen-
dum venerant, arte quadam minus liberali ignauiae suae
succurrerent. Similis *Tresenreuteri* fuit *Frommannus*;
similis *Sucroius*, quos ego nunquam cogito, quin me sen-
tiam vehementius commoueri, et vestigia quoque tanto-
rum virorum adorare gestiam. Ac de *Frommanno* qui-
dem, qui etiam moriens suam erga nos voluntatem testa-
tus est, alio tempore *) plura dixi, quanquam minus,

quam

*) Tum quidem, nam nihil de tali viro hoc loco commemorare re-
ligio mihi est; fuit enim profecto talis, qualis in universum

quam volui et vero etiam debui; et erit forte alius locus
überius declarandae illius virtutis; iam enim opprimit

moe-

descripsi, quin maior atque melior, quod alio tempore fortasse
a me probabitur disertius; si quidem illius praestantiam non
adsequuntur, qui modo ex scriptis viri imaginem sibi singunt;
tum igitur differui in eam fere sententiam:

„Quanta in illo, quam accurata optimarum litterarum pe-
ritia, non modo Latinarum, Graecarum, et quas oriens tulit
atque perfecit, sed verae elegantiae atque humanitatis littera-
rum et philosophicarum et theologicarum fuerit, nemo Ve-
strum ignorat; testantur vero etiam ingeni monimenta, quae
reliquit; testantur discipuli, quos formauit; testantur disputa-
tiones publice cum doctissimis viris habitate faepius, et quando
vñquam verba ille fecit, quin summa nos dimitteret voluptate
repletos? Praeterquam enim quod non vanas atque molestias
institueret disputationes, sed quae haberent admonitionem uti-
lem iuentuti optimarum artium studiosae; doctioribus non in-
gratam; eadem illa elegantia atque suavitatis, idem ille lucidus
ordo, eadem doctrinae magnitudo et subtilitas regnabat in illis
sermonibus, quae in reliquis scriptis viri; quae duae res, dispu-
tandi scilicet subtilitas dicendique elegantia, vbi coniunctae
fuerint, tum vero admirabile illud solet existere, quod tacto
quodam sensu homines ducit, et vel inuitos sequi cogit. Ne-
que tamen vñquam doctrinae singularis gloriam ille captauit,
sed quum pulcherrimum illum atque suauissimum doctrinæ suaे

fru-

moeror, eruptum iuuentuti, eruptum litteris, eruptum
generi humano illum talem virum.

Su-

fructum putaret, quem sui vere perciperent, voluit minus dectus videri, ut popularis esset, quae solet esse modestia hominum vere doctorum; atque haec tanta in ipso fuit, ut, quum discedens vere gloriari posset, se regente hanc optimarum artium officinam maiora in dies cepisse incrementa, id ipsum prope solus nescire videretur; et quum negare non posset, hanc laudem cum collegis suis communicare mallet, quam sibi vni vindicare, cuius animi magnitudinis plura specimina a me proferri poterant. Porro quam sancta fuit illius disciplina, quam humana, ut, quum antea semper haberent iuvidi atque aduersarii, quae obiectarent, inficeros scilicet et turpes ciuium mores, illa criminatio prope contiseret, neque facile proferretur, nisi ab iis, quos melior nostrorum vita adolescentiae turpius actae admonererat atque offenderet. Mira fuit in hoc genere prudentia Frommanni, quum in vniuersum statueret, nullam esse temporiam illam virtutem, quae ab iis infligatur, qui in tergum saeuunt, certe iracundis et clamoris reprehensionibus et seruili metu animos coerceri volunt iuueniles; veram disciplinam eam esse, qua ad omnem virtutem liberali ratione mentes formentur; incredibili sagacitate ille animos explorare, aegros sanare, diversitati ingeniorum disciplinam accommodare; comitati miscere seueritatem; ubi tristis puniendo delicta necessitas inciderat, ita vicii perditos consueverat, ut ipsi, de-

C 3

inde

Sucroius autem quam praeclare meritus sit de Casimira, qua elegantia suos poluerit, qua auctoritate valuerit, ut dubium esset, vtrum eum magis amarent boni, an vererentur improbi, et vel sic multum efficeret, quum in neutram partem peccaret, vt neque nimia facilitate proteruiam excitaret, neque austerioritate nimia meliores fran-

ge.

inde reliqui etiam a peccatis deterrentur, et paternum tandem amorem sentirent; diligentes non priuare suis laudibus, quibus ad maiora excitari nouerat; adiuuare probos atque cenarios; hos commendare diuitibus; suis consilio adesse atque regere; collegarum labores adiuuare participando; iura Gymnasii defendere strenue; recte faciendo timere neminem; omnes denique allicere ad se imitandum. Itaque merito talis tantusque vir plurimi habitus est ab optimo quoque, plurimi ab ipsis Serenissimis Principibus, qui diu cum retinuerunt, quum exterius idemdem suum esse vellent; magna et salutaris eius auctoritas apud grauissimos Gymnasii Curatores; magna apud Collegas; eximia horum atque singularis in ipsum voluntas, quam amore mutuo et summo studio rem Gymnasii publicam prouehendi promeruerat; inde summa animorum coniunctio atque concordia; incredibilis Cuius Casim. pietas, ut dubium esset, vtrum magis eum amarent probi, an vererentur ignavi; exteriori complures carissima pignora illius fidei crediderunt; aegre denique atque inuita e sinu complexuque suo dimisit patria virum. „

geret, sed aequabili tenore suorum studia moresque regeret; quam cupide dulcis ille doctor auditus sit; quantum dolorem omnium mentibus offuderit praematura illius mors; meministis, A., et liberis posterisque vestris ipsi tradetis melius et efficacius, quam ego narrare possim.

Pari modo optando si quid profici posset, optandum omnino erat, ut ille *Klettius*, qui iam iam praeclarar doctrinae et illius in docendo dexteritatis atque suavitatis derat, specimina, quum omnia lucido ordine traderet et accurate; diutius nostris profuisset. Nihil dum dixi de doctrina *Ehrenbergeriana*, qua qui bene vni sunt, illi etiam nunc laetantur, talem sibi contigisse doctorem; nihil de *Cramero*, qui, dici vix potest, quo litterarum, philosophicarum in primis, amore magnarum rerum cupidos animos multorum incenderit; nihil de *Mittenzweyio*, qui, quum vix ostendisset ingenii florem pulcherrimum, doctrinaeque elegantioris praestantiam, ad illustriores coeli sedes festinans ex hac vita discessit; non sine luctu eorum, qui de hoc litterarum genere iudicare potuerunt; nihil de humanitate *Bergeri*, quae plurimos splendidissimo loco natos huc inuitauit; nihil de *Albrechtii*, amabilis illius

Al-

Albrechtii studio singulari inferuendi omnium desideriis,
et admiranda rerum optimarum scientia; nihil de *Raison-*
nio, qui quum non modo litteras gallicas, quarum magi-
ster fuit, bene calleret, sed etiam aliarum rerum cogni-
tione utilissima floreret, dignus omnino erat, qui Profes-
soris nomine ornaretur, quod ornaret ipse. Non vereor,
A., ne Vobis molestiam adferam, in memoriam Vestram
reuocans talium virorum nomina sane pulchra et ciuitati
nostrae honorifica. Quid enim? non incundum sit co-
gitare bona nostra, recognoscere nostra ornamenta, et
laudes virorum praestantissimorum non solum auribus
percipere, sed animis altius reponere? Quo minus fas
esse arbitror silentio praeterire *Federum*, *Harleium*, *Fa-*
brumque nostros, qui omnes non modo de ingeniis, sed
etiam, quod multo maius mihi quidem videtur, quam-
quam turpiter plerumque neglectum, de moribus ciuium
Casimirianorum formandis praeclare meruerunt. Ac
Federus quidem, quumi illi mandatum esset philosophiae
docendae munus pulcherrimum; ipse vero videret vana
subtilitate et canoris nugis iuuenum animos occupatos;
parui porro pretii intelligeret doctrinam, quae non pu-
bli-

hōlice priuatimque vtilis esset; illud vnicē spectauit, vt philosophiam efficeret vitae magistrām, alienam a barbarie atque sordibus quorumdam philosophorum, ornatam vero et comitam ingenuarum artiū studiis; et quod spectauit, illud praestitit cura hominis elegantissimi, ingeniosissimi, optimi. De Harlehi autem Fabrique meritis in rem Casimirianam, quum in tanta laudandarum rerum multitudine homo etiam parum facundus possit esse disertus atque copiosus, propterea minus dico, quoniam etiam me tacente nihil de eorum laudibus detrahitur, quorum memoria sancta est eritque omnibus, qui, quantum ipsis debeant, non ignorant, et grata mente eorum beneficia retinebunt.

Videtis igitur, ciues Casimiriani, semper hanc academiam viris ornatam fuisse, in quibus non modo amplissima et yberrima omnium laudandarum artium seges effloresceret, sed etiam is animus esset, ea mens, vt, quod bonos viros decet, publicae utilitatis multo maiorem rationem haberent, quam aliarum rerum, quas vulgus faciat plurimi; ubi se ultro obtulerint, non aspernetur ille, qui iis ita yti didicit, vt paruis magna consequatur, ne-

D

que

que tamen magnopere desideret quisquam viles illas atque caducas, nedium admiretur; quin contemnat, qui maiora in se habeat bona atque praestantiora; horum igitur vestigiis insisteret, quis Vestrum dubiter? Habetis profecto, quos intueamini; de quibus diligenter etiam atque etiam cogitetis; ad quorum imitationem vos conferatis; qui absentes quoque, mortui quoque de Vobis bene mereantur; quorum scriptis erudiamini, et ita eruditamini, ut sapere discatis, et subtilitati, nescio cui, certe inani veram sapientiam anteponatis; vera autem sapientia non est, nisi in pectore diuini amoris pleno; diuinus vero ille amor non nisi in animo casto et modesto et publicae felicitatis studio. Hos igitur mores colite, o mei! capita carissima! honestatem omnibus rebus anteferite; tum vobis vestrisque studiis propitius aderit Deus; laudibus, quas mereamini, ornabunt vos laudati viri, quibus placuisse non minimus laus erit; suauissima ad extremam usque aerarem erit recordatio eorum, quae iuvenes bene fecistis, quorum vos neque poenitebit unquam, neque pudebit; recte factorum enim non est, quod pudeat quemquam; Casimira denique laetabitur his ornamentis.

fuis,

suis, quae sinu suo fouerit, aluerit, eduxerit. Sin vero — sed nolo tristiora ominari laeto hoc die; vos omnes, spero id, quod ynice opto Deumque O. M. assidue precor; Vos omnes igitur vel corrigetis strenue, si quid vitii fuerit in nonnullorum studiis atque moribus aut ignauiae aut lasciuiae; vel constanter adhaerescetis virtuti, cuius dulcedinem atque praestantiam iam iam experti estis.

Quanam vero ratione accidisse putatis, vt tales bonarum artium magistros haberet Casimirianum, quales vix ylla schola alia? secundam laudabimus illius fortunam, vel potius diuinam optimi Numinis prouidentiam, sine qua nihil geritur rerum humanarum, earum praefer-
tim, quae ad hominum felicitatem augendam perficien-
damque magnam habeant vim? Ita est prosector. Haec numinis diuini prouidentia bonos his terris dedit princi-
pes atque prudentes; bonis autem illis principibus hanc dedit mentem, vt se dignos eligerent ministros optarent
que amicos, qui bene intelligerent, et sapienter ita sta-
tuerent, qui in iuuentute Casimiriana ad humanitatem formanda erudiendaque operam suam studiumque collo-

carent, ingenium optimis artibus subactum adferre ad tale negotium debere, atque eum animum, qui nulla re magis, quam virtute et officio delectetur; tum vero non mediocriter prodesse vniuersae rei publicae. Itaque si annales excutiamus, quod aliis in locis saepius accidere videmus, ut etiam eius modi munera ambitiose vel querantur, vel tribuantur ab iis, qui publica commoda priuatis rationibus postponere non vereantur, hic aut numquam aut raro factum esse animaduertemus; contra vero, ut studia nostra ad maiora acuerentur, principes ipsos, maximos quoisque principes saepissime demonstrasse, quantae curae sibi esset Casimira, quantae voluptati. Neque mirum, ita sentire principes magno salutis publicae amore incensos; quem quidem amorem facta ipsa testantur, et iacta iam dudum felicitatis semina, cuius fructus uberrimos etiam nos percipimus, et percipient, audi, Deus, vota nostra! posteri nostri, et qui nascentur ab istis. Neque enim temeritate quadam fortunae factum esse putandum est, ut tam diu patria nostra tam multis frueretur bonis atque commodis, quae alii aut non intelligent coscientes, aut, si intelligunt, tanti aestimant,

Quan-

quanti ea facere solemus, quae nobis sunt gratissima; malis contra et calamitatibus plurimis liberi essemus, quibus alii vel insolentius premantur, vel afficti iaceant. Non ego, quae in hanc sententiam commemorari poterant, commemorabo omnia; quoniam vero in hunc locum mea incidit oratio, nonnulla monstrabo velut e longinquo visa; quae, si quis ea fuerit diligentia atque solertia, ut propius inspicere velit, ea vero dicendi copia atque vertestate, ut accuratius omnia explicare et veluti viuis picta coloribus ante oculos ponere possit, hunc ego existimo tanta bonorum animos mentesque laetitia esse cumulaturum, quanta potest esse maxima. Cogitando modo percurrite, A., varias gentes atque populos, alios videbitis turpissimo seruitutis iugo obnoxios, quam vel superbia regum imponit, vel sacrificiorum fastus; alii in foedis barbariei atque superstitionis tenebris coecutiire etiam nunc videntur; sudore suo atque sanguine alere coguntur alii mollitatem dominorum atque voluptatem; auaris asperisque tributorum exactionibus premuntur alii adeo, ut tandem dulce natale solum relinquere cogantur, qui tantum onus non sustinent diutius; et dum magna

D 3

mala

mala atque grauia vel ferunt vel patiuntur, peiora in dies metuunt. Cum horum igitur miseria comparet felicitatem nostram, cum seruitute libertatem, cum doloribus laetitiam, cum metu eorum atque sollicitudinibus spes nostras, nostram securitatem; cum ignorantiae tenebris sorribusque barbariei litterarum lucem artiumque splendorem; tum vero intelligetis, quanta Deo O. M. habenda sit gratia, qui nobis maioribusque nostris principes dedit, dabitque nepotibus nostris, qui ciuibus suis bene cupiant, et libenter in illorum quasi sinu versentur, et delectentur salute eorum ex proximo spectanda. Quod igitur facere solent homines meliores die natali suo, ut recolant superiorum temporum atque beneficiorum memoriam, suaeque felicitatis auctorem venerentur, id nos quoque facere par est, hoc die nostro, ut grato animo amplectamur illam, quae rebus nostris optime prospexit, numinis curam; eique piis precibus denuo commendemus salutem *Principis Nostrri Serenissimi, Domini Clementissimi ERNESTI FRIDERICI*, cuius lene merito exosculamur imperium. Hunc Tu, Deus immortalis,

talis, saluum nobis diu præstes atque incolumem cum
celfissima Coniuge; serues nobis delicias nostras nostros-
que amores, *Serenissimum Principem Heredem*, hu-
iusque *Coniugem, Auiam**) *Ludouicum Fratrem, Sororem,*
Filias, Principes Celfissimos; totam denique *domum principalem* omni felicitate bees. Adsit numen optimum Cu-
ratorum Gymnasii nostri sapientibus consiliis; faxit, ut
subinde prodeant ex hac schola nostra, qui doctrinam et
virtutem tum studiose ipsi colant, tum suis quique ciui-
bus feliciter impertiant. Ciuitati vero nostrae seruet Pa-
ter optimus bona omnia, quae dedit; seruer *laetissimam*
pacem, quam nuper Germaniae, quum iam congesta vi-
deretur arida et facilis ad exardescendum materies; quin
iam subiectus ignis in flammam erupisset; ille reddidit,

cu-

* Quae tamen, quum naturam ipsam satietate viuendi expleuisse
videtur, postquam suam erga Casimirianum voluntatem te-
flata est legato amplissimo; legauit antem 700 Scutatos; quod
illi quidem egregium, et ad immortalitatem memoriae glorio-
sum; in coelum, unde descendisse visa est, rediit, rebus huma-
nis erepta m. decembri anni superioris.


XXXII

cuius summum in reges ipsos est imperium ; cuius nutu coelum , maria , terrae ; haec omnia , quae cernimus , et multo plura atque infinita continentur.

Ue 22976K

X 237 3854

m.c.



J. 115, 24

SERENISSIMVM PRINCIPEM
PATREM PATRIAE
 CLEMENTISSIMVM
 SERENISSIMVM PRINCIPEM
HEREDEM
 HVIVSQVE PATRVVM SERENISSIMVM
PRINCIPES RELIQVOS
 CELSISSIMOS
 EA QVA DECET ANIMI SVBMISSI REVERENTIA.
GYMNASII CASIMIRIANI CVRATORES
 LITTERARVM PATRONOS FAVTORES
 DOCTORES CVLTORES
 EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ATQVE HUMANITATE

AD
CELEBRANDAM ORATIONE
 SOLENNI
 GYMNASII CASIMIRIANI NATALIS
 A. D. III. IVL. CICICCLXXXI.
 MEMORIAM
INVITAT
IO. CHRISTIANVS BRIEGLEB
 P. P. O.

COBURGI, FORMIS AHLIANIS
